Rx. 1. Nov. 1633. Ardn.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Illustrissime Zulichemi

Orantem quum vides, quin exorari te passurus sis, nullus dubito. Omnia ut ut abessent, preces meas ille favor quem pro laborantibus naturalem esse praedicat Hipponensis antistes, humanitati tuae commendaret. Sat scio, tuam toti orbi testatissimam, mihi privatim compertissimam illam, qualiacumque hae sunt aspernari; gnaram quippe hac via coelum peti, hac potissimum ad coelo receptas mentes nos accedere, ipsi quin imo numini et propinquo conciliari, aequari: sed remmoveo tes dura, et vel hosti miseranda conditio, etiam in demississimas preces omni coeteroquin parario destitutam pietatem propellat. Ilico ut e castris me recepi ad Brederodium scripsi. Calamitas calamitatem ut unda undam protrudens, nostras ei invidet: totos viginti dies (at quos illos bone Deus!) in via haesere. E vestigio vicissim quae rescribit mitto. Metum qui in constantissimum cadat, ob tendit, communicata cum centurionibus consilia, nihil a se privatim actum, ysve quorum intererat inconscijs. perfidiae crimen longe habet, seque adeo a se amolitur ut si qua ipsum istius labes collutulet susceptus omni favore ac gratia indignum ultro edicat. Stare sibi, ut divino cultui, ita et Serenissmo principi indelibatam reverentiam asseverat. quae si vera, ut credi aequum, videret non acerbam de mortalitate sententiam laturus, "ca blandam, quod aiebat ille, gratiarum faciem non horrere. Praesertim, si quam nulla circumlocutione usus aviditorem, vel perculsum et tantum non de gradu deiectum, attendere digneris, et ad ingenui respon si non fucatum candorem animum atque oculos vel quantillum advertere. Utrumque mitto, ut si usui possit esse, captato molliori articulo tuam erga miserum pietatem, quam cuius, quamque sentus es, explicare possis apud Serenissmum Principem, nobis vel hoc nomine summum; quod eius exemplo atque auctoramento doceamur, quanta veneratione tuas virtutes venerari nos ac suspicere fas aequumque sit. Ergo te per genium tuum, per illos quos in pientissima matre unquam devenusatus es affectus, per quaecumque chara tibi atque accepta volunt benignus Deus, rogo quaesoque, meis, at matris praesertim viduae, orbae, destitutae, senio, moerore, ac luctu confectae precibus accidas propitius. Me tuo Illustrissmo nomini deditissimum atque ex

Hug. 37

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Graswinckel) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1756

aſſ^e ſemper tuum habebis, ſi vero, quae, proh dolor! inter tantas aerum
nas, non vitam ſed vitae tormentum trahit, hoc dabis post optimum
maximum deum, ut quem natura reposcet ſpiritum quietior reddat,
et citra opprobrij (cujus nullam penes ipsam meritum) notam
canos ſuos ad tumulum deducat. Sic te divina benignitas tuis,
Principi, Patriae, diu ſervet, a chariſsimorum liberorum tuorum
capitibus omne malum clementer avertat. Suae porro clementiae
~~ſuae~~ radijs decoros, Patri atq; avo ſimiles reddat, ~~[illegible]~~ foveatq;
Faxit ipse, ut tam ego ſim tibi commendatiſsimus quam fausta
proſperaq; ac ſupra votum fluentia cuncta Tibi appreceatur

Totis animae viribus tuus

Graswinckel

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Graswinckel) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1756

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Graswinckel) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1756

Ill^{mo} Zulichemy toparchae

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Graswinckel) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1756